

DISPUTATIO

Theologica,

DE JEJUNIO:

OPPOSITA ERRORIBVS

ROBERTI BELLARMINI, NVNC

Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; quos Tom. 4. suarum Disputationum, lib. 2. de Bonis operibus in particulati,  
contra Scriptura dictamen, fovet;

Q V A M

*Divinâ fauente clementia,*

S V B P R A E S I D I O

REVERENDI

ET CLARISSIMI VIRI, D N.

D. STEPHANI GERLACHI,

SS. Theologiae in inclita Tubingensi Academia Professo-  
ris celeberrimi, Praceptoris & Patroni sui co-  
lendissimi,

Die 16. & 17. Martij horis matutinis, in Aula noua  
pro viribus defendet

M. BALTHASAR GOCKELIVS,

Melchingensis.

1. Timoth. 4.v.6.


DE HIS (PROHIBITIONE CIBORVM &c.)  
si commonefceris fratres, bonus erit minister Iesu Christi;  
enutritus in sermonibus fidei, bonaq; doctrina,  
quam usq; secutus es.

T U B I N G A E.  
TYPIS CELLIANIS,

Anno 1604.

5





# Disputatio Theologica,

D E I E I V N I O:

Contra Robertum Bellarminum.

THE SIS I.



T A D D I S P V T A T I O N I S  
nostræ congressum, viam atque aditum  
paremus commodiorem : ante omnia  
de Jejunij præcipuis significatis, seu mo-  
dis, (quorum Scriptura mentionem fa-  
cit) dicendum est.

2. Primùm, est Jejunium Miraculosum : quo tempus  
à cibis abstinendi, ultra & supra communem naturæ or-  
dinem protrahitur. Quale fuit illud Mosis, Exod. 34. v. 28.  
Eliæ, i. Reg. 19. v. 8. Christi, Matth. 4. v. 2.

Jejunium Mir-  
culosum.

3. Deinde, est Jejunium S P I R I T U A L E : quo jeiuna-  
mus ab operibus malis, & facimus bona. De quo Esa. 58.

Jejun. Spiritua-  
le.

v. 6. Nonne hoc est Jejunium quod elegi, ut soluas colligatio-  
nes impietatis ; ut soluas fasciculos iugi ; & dimittas contritos  
liberos &c. Nonne ut frangas esurienti panem tuum ; & affli-  
ctos vagos introducas in domum ? &c.

4. Dehoc Augustinus Tract. 17. in Iohan. scribit : Je-  
junium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus,  
& illicitis voluptatibus seculi.

5. Verùm, de hisce Jejunij significatis, in præsentia  
questio nulla oboritur.

## *Disputat. Theologica,*

6. Tertiò, est Jeiunium, propriè sic dictum: de quo inter nos & Bellarminum ~~dis~~ ~~dia~~ ~~πατῶν~~ est discrepantia. Descriptio eius **N O M I N A L I S**, ex Hebræa & Græca petitur lingua. Exprimitur autem apud **H E B R A E O S** voce **Ιεινός**: quæ ab emulgendo seu exugendo nomen habet: eò quòd Jeiunium emulgeat ventriculum & intestina, & exhauiat vires corporis: **G R A C I S** dicitur **μητέρα**, à priuatiua particula **μη**, & **δια** **Γεώργιος**: eò quòd jeiunantes non edant: Inde natum apud **L A T I N O S** vocabulum **Inedia**.

Eius descriptio.  
7. **R E A L I S** huius Jeiunij descriptio hæc est: Jeiunium est abstinentia à cibo & potu, alijsq; rebus licitis, per vnum pluresve dies: vt petulantia & concupiscentia carnis dometur; animus humilietur; & homo ad pœnitentiam, preces, meditationem verbi Dei, usum Coenæ Dominicæ, aliaq; negotia Ecclesiastica, ardenter reddatur.

Exempla Jeiu.  
nii,  
Publici,  
Iudic. 20.  
1. Sam. 7.  
2. Paral. 20.  
Esdras 8.

8. Exempla Jeiunij, & publici & priuati, plura extant in V. Testamento. Ex quibus est illud Iud. 20. v. 25. cum Israëlitæ contra Gibeonitas altera vice infeliciter pugnassent, conuenerunt in Domo Domini, fleuerunt & Jeiunauerunt die illa usq; ad vesperam. 1. Sam. 7. v. 6. Israëlitæ in Mizpah congregati, Jeiunauerunt die illa; & dixerunt ibi, peccauimus Domino. 2. Paral. 20. v. 3. Josaphat audiens contra se venire magnam multitudinem Moabitarum & Ammonitarum, prædicauit Jeiunium Vniuerso Judæ: vt congregati, rogarent Dominum pro auxilio. Esdras, instituens profecitionem cum populo ex Babylone Hierosolymam, indixit Jeiunium & preces publicas: *Vt (inquit) affligeremus (seu humiliaremus) nos coram Deo nostro: (confitentes nos exilium promeritos esse:)*

esse:) & peteremus ab eo viam rectam nobis, & paruulis nostris, & vniuersa substantia noſtre. Esdræ 8.v.21. Ibidem, v.23. Ieiunauimus itaque & rogauius Deum noſtrum pro hoc: & exoratus eſt nobis. Similiter Ionæ 3.v.7. & 8. Decreto regio prædicatur publicum Jeiunium, oratio, & pœnitentia.

9. Exemplum priuati Jeiunij, propter causam tamen publicam, eſt Nehemias: qui in Susan Metropoli Persia, audiens de afflictione populi in Iudæa relicti, luxit, jeiunauit, & orauit coram Deo cœli, Neh.1.v.4. Pari modo Daniel jeiunauit, & orauit Dominum Deum ſuum, pro reditu populi ab exilio Babylonico, Dan. 9. v. 3. & 4. In causa priuata, nimirum pro puero ægrotante, rogauit Dauid Deum, & jeiunauit, 2. Sam.12.v.16. & 22.

Priuati.

10. Exemplum eorum, qui per plures dies Ieiunauerunt, sunt Judæi; qui tribus diebus & noctibus à cibo & potu abſtinuerunt propter Esther, vt internetionem ipſorum apud Regem auerteret, Esther 4.v.16. Item Habitatores Jabel, ſepelientes oſſa Saulis & filiorum eius, Ieiunauerunt septem diebus, 1. Sam.31.v. ult.

Ieiunium plurimum dierum,

11. Præterea, in Nouo Testamento ſimiliter exempla Ieiunij extant: Nam Act.13. v.2. legitur: quod Prophetæ & Doctores, qui erant Antiochiæ, (in quibus etiam Saulus & Barnabas fuerunt) ministrâint Domino, & Ieiunârint. Ibidem v. 3. ſcribit Lucas: Cum Ieiunaffent, & orauiſſent, & imposuiffent Barnabæ & Saulo manus: dimiferunt eos in opus, ad quod accerſierat eos Spiritus Sanctus. Act. 14. v.23. Cum suffragijs creaffent illis per ſingulas Eccleſias preſbyteros; precati cum Ieiunjs, commendauerunt eos Domino, in quem crediderant. 2. Cor.11.v.27. Inter cetera refert Paulus

Exempla Ieiunii in Nouo Testamento.

## *Disputat. Theologica,*

Ius sua Ieiunia , scribens: *In fame & siti, in Ieiunijs sepe, in frigore & nuditate egi.*

Præcepta de Ie-  
iunio.  
Leuit. 16.

Leuit. 23,

Hanc legē Chri-  
stianos non ob-  
ligare.

Significata vo-  
cis S E C V-  
L V M.

12. Porrò , præter exempla, præcepta quoq; de Ieiunio in Scriptura tradi , notum est. Sic namque legimus Leuit. 16.v.29. *Et erit vobis in statutum sempiternum: Mensa septimo , in decima die mensis affligetis ( Ieiunio ) animas vestras, & omne opus non facietis indigena & peregrinus. Quia in die bac expiabit super vos, ad mundandum vos ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.* Cap. seq. 23.v.29. additur. *Omnis anima, quæ non afflcta fuerit in die illo, excidetur è populis suis.*

13. Verūm hæc lex , Num. 29.v.7. repetita, vnâ cum alijs ceremonijs Leuiticis & politia Mosaica , sublata est; nec obligat Christianos. Idcirco etiam Leuit. 23.v.31. subiungitur: *Statutum seculi ( seu perpetuum ) erit in generationibus V E S T R I S , in cunctis habitationibus V E S T R I S .*

14. Quod si vel Bell. vel quisquam alius , ex illis verbis : *Eritq; vobis statutum S E M P I T E R N U M ; probari existimet;* Etiam ad nos illud spectare: manifestè errat.

15. Vox namque Hebræa בָּרוּךְ יְהוָה , æquiuoca est; & significat aliquando æternitatem , quæ principio & fine caret. Gén. 21.v.33. *Abraham inuocauit ibi nomen Domini Dei בָּרוּךְ יְהוָה , id est , aeterni.* Esa. 40.v.28. *Annon audiuisti? Deus בָּרוּךְ יְהוָה Dominus , non defatigatur.*

16. Aliquando verò denotat perpetuitatē certi temporis: quemadmodum ex sequentibus testimonij patet. Exod. 21.v.6. *Et seruiet ei in seculum.* Deut. 15.v.17. *Erit tibi seruus in seculū.* I. Sam. 1.v.22. dicit Hanna de Samuele. *Manebit ibi ( coram Domino ) usq; in seculum.* I. Sam. 27.v.12. ait Achis de Dauide: *Et erit mihi in seruum seculi.*

## De Jejunio.

4

17. Hoc posteriore significatu, accipitur quoque vox *Seculum*, Leuit. 16. & denotat perpetuitatem, quæ ad finem usque politiæ Mosaicæ durare debuit. Nam Ieiunium illud, fuit pars cultus, in festo expiationis Leuiticæ obseruandi. Hac autem expiatione typicâ per expiationem Christi sublatâ; & vmbra, accedente corpore, euanescente; sublatum est & Ieiunium huic expiationi inseruiens.

18. Cæterum, præter illam legem de Ieiunio statim temporis, Israëlitis propositam, legitur in Prophetia Ioëlis, quod Deus per Prophetam, ante captiuitatem Babyloniam & excidium Hierosolymæ, Ieiunium publicum juxta pœnitentiam & preces, his verbis præceperit, cap. I.

*Præceptum de  
Ieiunio.  
Ioel. 1.*

v. 14. *Sanctificate Ieiunium: vocate cætum: congregate omnes habitatores terræ in domum Domini Dei vestri: & clamate ad Dominum. Et cap. 2. v. 12. Conuertimini ad me toto corde vestro, in Ieiunio, & fletu, & planctu.* v. 15. *Sanctificate Ieiunium: vocate cætum.* v. 17. *Et dicant (Sacerdotes:) parce Domine, populo tuo: & ne deshæreditatem tuam in opprobrium, &c.*

*Ioel. 2.*

19. Hæc præcepta, licet Iudæis tradita, commonefaciunt nos, (quemadmodū & exempla in nostram doctrinam præscripta: 2. Paral. 20. Dan. 9. Ionæ 3.) vt Ieiunia & preces instituamus, quando pericula & calamitates publicæ imminent, vel iam nos premunt: vel ardua negotia in Ecclesia peragenda sunt: vt docet exemplum Apostolorum cap. 13. & 14. Actorum.

*Quando Ieiuniæ instituenda.*

20. Adhæc, nonnullam præcepti rationē habent verba *In N. Testam.* illa Pauli, 1. Cor. 7. v. 5. *Ne fraudetis vos in uicē nisi ad tempus;* *ut vacetis Ieiunio & precationi.* 2. Cor. 6. v. 4. & 5. *In omnib⁹*

*nōs*

## *Disputat. Theologica,*

*nos adprobantes ut Dei Ministri &c. in laboribus, in vigilijs, in Ieiunijs.*

21. Nec à culpa excusari possunt Ecclesiæ, in quibus vera Ieiunandi ratio prorsus exulat: cùm in Ecclesia Apostolorum, & quæ tempora hōrum secuta est, exercititia Ieiuniorum pœnitentia & precibus coniuncta fuerint.

22. Postquam igitur exemplis & testimonijis Veteris Noviq; Testamenti, descriptio Ieiunij satis roborata est: Nunc etiam de hoc doctrinam Bellarminj dispiciamus.

Doctrina Bel-  
larmini de Ieiu-  
nio.  
23. Is verò cap. i. de Ieiunio scribit: *Ieiunium Ecclesiasticum definiri solet abstinentia cibi, secundum Ecclesiæ regulam assumpta.*

24. In verbis illis, *secundum Ecclesiæ regulam assumpta*, T R I A requiri scribit: P R I M U M , vt qui ieiunat, semel tantum in die cibum sumat: S E C V N D O , vt una illa refectio sit cœna, non prandium; T E R T I O , vt habeatur ciborum delectus; & præsertim à carnibus se abstineat, qui Ecclesiastico more Ieiunat.

Quando ciboru  
dele&tus institui  
possit.  
25. De Tertio requisito sentimus: ( nam de prioribus duobus nulla controuersia: ) posse liberrima voluntate, luctus tempore, vel etiam sanitatis causa, ciborum dele&tum institui: non tamen eiusmodi, qualem Bel. requirit; sed quo à lautiori tractatione voluntariè abstinemus. Id quod vel ex vnico Danielis exemplo liquidum est; qui de se testatur cap. 10. v. 3. *quod panem desiderabilem non comedenterit; caro & vinum non introierint in os ipsius; neque unguento unctus sit.*

Bellarmino.  
per legem de  
abstinentia à  
carnibus, obli-  
26. Sed iste C E R T O R V M ciborum delectus, ( præ-  
sertim abstinentia à carnibus) non est necessarius, vt Bel.  
opinatur, scribens: *Communem totius Ecclesiæ Catholice*  
*senten-*

## De feiunio.

5

*Sententiam esse , legibus Ieiuniorum (quarum non postrema est quæ carnium vsum prohibet) obligari homines IN CONSCIENTIA.*

gari conscientias hominum.

27. Huius opinionis falsitas manifestis Scripturæ testimonijs iugulatur. Nam Christus Matth. 15. v. 11. ait: *Non quod ingreditur in os , impurat hominem. Et v. 17. huius rationem reddit: quod quicquid ingrediatur in os , in aluum abeat , & in secessum ejiciatur. Luc. 10. v. 7. In eadem domo manete ; edentes & bibentes quæ dantur ab illis. Et v. 8. In quamcunq; ciuitatem intraueritis , & susceperint vos ; edite quæ apponuntur vobis. Col. 2. v. 20. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi; quid quasi viuentes in mundo , decreatis tenemini , Ne tetigeris , ne gustaris , neq; contrectaris ? que omnia ipso pereunt abusu , iuxta præcepta & doctrinas hominum. I. Tim. 4. v. 1. 2. & 3. Spiritus autem (futura annuncians, Ioh. 16. v. 13.) disertè dicit , quod in posterioribus temporibus desciscunt quidam à fide , attendentes spiritibus deceptionis , ac doctrinis damoniorum , in hypocrisi falsa loquentium &c. (jubentium) abstinere à cibis , quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus , & ijs qui cognoverunt veritatem. Tit. 1. v. 15. Omnia pura puris. Rom. 14. v. 14. Noui siquidem & persuasum habeo per Dominum Iesum , nihil esse commune per se , nisi ei qui existimat aliquid commune esse , illi commune est. Act. 10. v. 15. Quæ Deus purificauit , tu communia ne dixeris.*

Refutatur hæc lex Pontificia.

28. Porrò , ex propria confessione Bellarminus convincitur , hoc Ieiunium ab ipso descriptum , Deo minime placere. Syllogismus hic est: *Qui docent doctrinas præcepta hominum; frustrà ijs Deum colunt. Matth. 15. v. 9. At Pontificij , prohibendo carnium vsum , docent doctrinas præcepta hominum. Ergò frustrà Deum isthac prohibitione colunt.*

B

29. Mi-

## Disputat. Theologica,

29. Minor probatur ex Bellarmino. Scribit namque lib. 2. de bonis operibus, cap. 7. *Actus ieiunandi CERTIS diebus, & abstinentia CERTIS cibis*, Ecce si asticā lege prescriptus, actus est virtutis temperantiae necessarius, etiam si aliqui necessarius NON esset, NISI lege prescriberetur. Et c. 4. col. 14 oī. non obscurè concedit: *Carnes naturā suā non esse immundas; nec prohiberi, quia per se male sint: sed malum esse eas comedere, QVONIAM ab Ecclesia certo tempore prohibeantur.* Et paulò post: *RATIO CVR Catholicī existiment, carnes pecorum, & auium certis diebus esse illicitas, NON ALIA EST, NISI QVI A PLACVIT ECCLESIA illas prohibere.*

Quando à carnis abstinēdū.

30. Sitamen apud infirmos, Christianæ libertatis ignaros homines, nos conuersari contingeret; omnino PROPTEROFFENDICVLVM vitandum, ratio fratrum esset habenda. Iuxta hæc testimonia Pauli: Rom. 14. v. 21. *Bonum est non edere carnes, neque bibere vinum, neque quicquam per quod frater tuus impingit, aut OFFENDIT VR: aut infirmatur.* 1. Cor. 8. v. 13. *Quapropter si esca OFFENDIT fratrem meum; haud quamquam vescar carnibus in eternum, ne fratri meo sim OFFENDICULO.*

31. Bellarminus causæ suæ iugulum. Scripturæ dictis peti sentiens, ad quatuor priora à nobis adducta testimonia, magno at irrito conatu, respondere tentat. Nos primò verba ipsius recitabimus: tum quid falsi illis sit admixtum, subiungemus.

De Loco Matt.

15.

Deprauatio  
Bellarmiini.

32. Locum ergo Matth. 15. v. 11. ita deprauat: *Negari non potest quin id, quod intrat per os, aliquo modo coiquet hominem: aliqui crapula & ebrietas, que per os intrant, homi-*

*hominem non coquinaret. Loquitur igitur Dominus de cibo & potu, non quoconque modo, sed ut res sunt corporales, quæ ex natura sua non possunt animam, quæ spiritualis est, coquinare; quamvis ratione adiuncta concupiscentia, aut inobedientia, facile possint eandem animam inquinare, ut s. Augustinus docet libro i. de moribus Ecclesie, cap. 33. Voluit enim Dominus illis verbis superstitionem Indorum reprehendere; qui existimabant, cibos illotis manibus sumptos contrahere nescio quas sorores, quibus anima quoque inficerentur; & cibos quosdam propterea fuisse à Deo prohibitos, quod natura sua immundi essent, &c.*

33. R E S P O N D . I. Stultitia Iesuitæ, corrigit sapi- Responfio ad eam.  
entiam Christi. Quod enim Christus negat: id ipsius, scilicet, socius, affirmat. II. Affirmatum suum probat ratione inepta, dicens: *Crapulam & ebrietatem per os intrare*: cum sint accidentia eorum, quæ in os ingrediuntur. III. Quid prohibet, quò minus idem medium (si firmum sit) contra Bellarminum ad prohibendos pisces, militet; cùm & Scripturâ attestante, i. Cor. 15. v. 39. Num. ii. v. 21. & 22. & Bellarmino fatente, pisces quoque carnium appellatione veniant.

34. Ad dictum ex Luc. 10. v. 7. & 8. desumptum, re- De Loco, Luc.  
spondet Bellarminus his verbis: *Iubet Dominus, vt cum hospitio recipimus, non queramus sumptuosos cibos; sed yis qui apponuntur, contentisimus, etiam si fortasse viliores sint, quam vellemus.*

35. R. Si maximè, quod dicit Bellarminus, concedamus: nondum tamen obtinuit institutum suum de abstinentia à carnisbus. Certum enim est, CHRISTVM voluisse discipulos suos, (quos absque crumenâ ad prædicandum regnum Dei miserat) contra sollicititudi-

## *Disputat. Theologica,*

nem, victus munire: nec quicquam de delectu ciborum, vel abstinentia à carnibus præcipere; sed potius mandare, vt quibusvis cibis vescantur, qui illis apponuntur. In his autem etiam carnes, & laudiores cibi, tam gratis hospitibus ( qui potestatem habuerunt infirmos sanandi; leprosos mundandi: mortuos suscitandi: dæmonia ejiciendi: & hæc omnia gratis faciendi:) apponi potuerunt.

De Loco, ad  
Colof. 2.  
Eiusdem Bellar-  
mini.

36. Ut fulmen dicti Col. 2. v. 20. & 21. à suo capite diuertat Bellarmimus, Q. V. A. D. R. I. F. A. R. I. A. M. respondet: I. Loqui Apostolum de legalibus ceremonijs; nec posse verba eius torqueri ad leges Ecclesie de ciborum delectu, cum omnia manifestè pertineant ad Mosaiam legē. II. Ex verbis Chrysostomi respondet: Quod lex diuina de discretione ciborū, post abrogationem suam, si rursus in usum revocetur, (ut tum à Pseudoapostolis & Hæreticis Simonianis factum sit) iam non lex diuina, sed humana & commentitia traditio dici possit. III. Addit: dici posse cum Chrysostomo, Apostolum taxare dogmata Grecorum Philosophorum, de quibus paulò ante dixerit: videte ne quis vos decipiatur per Philosophiam, & in anem fallaciam. Consueuisse enim varios Philosophos, varios cibos interdicere, testari Hieronymum in 2. lib. contra Iovinianum. IV. Ut suam ciborum prohibitionem ex doctrinis humanis eximat, subiungit: Quod per doctrinam & præcepta hominum, Scriptura Sacra tum hoc loco, & ad Tit. 1. tum Esa. 29. & Matth. 15. non intelligat constitutiones humanas quascunq; sed constitutiones humanas, qua vel repugnant diuinis, vel certè non sint eis conformes.

Responso.

37. R E S P O N D. In prima & secunda parte Responsonis, nos consentientes habet, quod Apostolus de ceremonijs legalibus loquatur: quodq; lex diuina, sit & dicatur

eatur humana, si post abrogationem in usum reuocetur. Hac verò solutione tam non iuuatur Bellarminus, vt etiam institutum ipsius funditus euertatur. Nam si Paulus noluit fideles Noui Testamenti, legibus de discrimine ciborum ab ipso Deo latis, Christi verò aduentu abrogatis, teneri: multò minus voluit hoc de legibus hominum.

38. Et, si Christus discriminem ciborum, à Deo mandatum, aduentu suo sustulit, vt illo nemo amplius obstrin-gatur: qua impudentia & temeritate, Pontificij discrimen illud, in Ecclesiam Noui Testamenti, etiam contra verbum Christi Matth. 15. *Frustrà Me colunt, &c.* Item v. 13. *Omnis plantatio, quam non plantavit, &c.* introduce-runt? Cùm insuper Paulus apostolica authoritate præcipiat, Col. 2.v.16. *N e q u i s (Quicunq. sit etiam in Eccle-sia) vos iudicet in cibo, aut potu.* Hoc præceptum non mi-nus, imò magis, decreta hominum, quām legem Dei de ciborum delectu, tollit.

39. Et quid aliud Pontificij hac sua constitutione a-gunt, quām vt illâ testentur, se Antichristos esse?

40. Deinde, hæc decreta de cibis, appellat Aposto-lus elementa Mundi, quibus Hebræi in V. Testamento ex Dei mandato dediti fuerunt. Christiani verò in N. Te-stamento ijs sunt mortui: nec amplius occupari debent circa hæc rudimenta, *Quid edendum, & à quibus cibis sit abstinentium.*

41. Adhæc; quæcunque leges de istis rebus externis & mundanis extant: vocantur à Paulo præcepta & doctrinæ hominum: quibus Deus frustrà colitur Matth. 15. Ideo vult Paulus Christianos illis non teneri.

42. Præterea ait: His doctrinis hominum de cibo, ali-

## *Disputat. Theologica,*

isque elementis Mundi, palmam interuerti fidelibus, quasi in illis verus Dei cultus consistat: cum Deus ea, ut hominum plantationem, abominetur: & velit nos in præceptis suis, non in præceptis hominum, ambulare, Ezech. 20. v. 18. & 19.

43. Huius generis exemplum est decretum Papisticum de non comedendis carnibus pecoris alijsq; cibis, certis anni temporibus & diebus. Contra quod, rationum Apostoli pondera & momenta sunt notanda. 1. Quod non vult, Nos à QVOQVAM iudicari ob cibum vel potum. 2. Ne per hæc præcepta hominum, (quæ humilitatem, sanctitatem & cultum planè angelicum præferunt,) palma vitae æternæ nobis eripiatur. 3. Quia cum Christo mortui sumus non solum elementis Leuiticis, sed in genere omnibus istis præceptis, quæ circa elementa Mundi versantur: Idcirco non amplius tenemur decretis istis de non gustando hunc vel illum cibum. Et quicunq; illa obseruant: hi adhuc in Mundo & cum Mundo viuere, nec cum Christo istis ceremonialibus, mortui esse dicuntur. 4. Indignum est populo N. Testamenti, (qui non nisi spiritualia curare debet) circa ea tanto studio occupari, & conscientiam eius ijs rebus constringi, quæ ipso usu pereunt, & in secessum ejciuntur. 5. Omnia hæc de leiunijs & ciborum delectu, (quæ Bellarminus leges Ecclesiæ vocat) Apostolus appellat præcepta & doctrinas hominum: quibus Deus frustrè colitur: nec quisquam teneri illis debet. 6. Qui ista præcepta obseruant; ij transgrediuntur præceptum Dei propter hominum traditionem. Nam præceptum Dei est per Apostolum Paulum nobis traditum Gal. 5. v. 1. *In libertate, qua Christus nos liberauit, state: & ne rursus iugo seruitutis implice-*

plicemini. Huic iugo autem implicantur ij , qui leges istas Ecclesiæ Pontificiæ de leiunio & delectu ciborum custodiunt.

44. Ex his commemoratis , responsio quoque ad 3: liquet: Quòd nimirum Apostolus Omnia eorum dogmata taxet & damnet, (sive Philosophi, sive Hæretici, sive Papisticæ Ecclesiæ Antistites sint;) qui cibos in Ecclesia Noui Testamenti interdicunt.

45. Estque solutio Iesuitæ ridicula : *Apostolus taxat dogmata Philosophorum, qui cibos interdixerunt: Ergo precepta Ecclesiæ Romanae, que eosdem prohibent, non taxat.* Eadem responsione & apologiâ, etiam veteres Hæretici (Priscillianistæ, Tatiani & alij.) qui esum carnium damnarunt, contra Orthodoxos vti potuissent. Verùm, ob quam causam Philosophis & Hæreticis illicitum erat, certos cibos prohibere : ob eandem nec Pontificijs id licet.

46. In quarto solutionis membro, Bellarminus non obscurè confitetur; legem Ecclesiæ Pontificiæ de delectu ciborum, esse constitutionem humanam.

47. Quòd verò postea addit: *Dubium esse non posse, quin præcepta Ecclesiæ de leiunijs & delectu ciborum, sint conformia Scripturarum doctrina & exemplis: est inanis & inepta petitio principij.*

48. Quòd enim constitutiones illæ Scripturis diuinis repugnant, modò euidenter demonstratum est ex Apostolo Paulo.

49. Ab huius doctrina, qui diuersum aliquid ordinant , & obtrudunt Ecclesiæ: (quod Episcopi Romani fecerunt:) illi non à Spiritu Dei bono, sed à Malo illo, faliutis nostræ hoste, aguntur: nec quicquam secundum.

Regu.

## *Disputat. Theologica,*

Regulam fidei, sed contra eam, quam Paulus de libertate Christiana Gal. 5.v.1. tradidit, præcipiunt. Idcirkò ipsorum præcepta, tanquam dæmoniorum doctrinæ, & saluti nostræ pernitosæ, detestandæ & fugiendæ sunt.

50. Quamvis autem exempla Ieiunij in Nouo Testamento extent: nullum tamen præceptum de delectu ciborum ex illo dari potest.

De Loco i. Ti.  
mooth. 4.  
Bellarminus.

51. Ad quartum à nobis ex i. Tim. 4. v.1. productum testimonium, duo regerit Aduersarius: I. *Damnare Apostolum Hæreticos Omnes*, qui cibos, ut per se immundos prohibent: ac præsertim Marcionistas, Encratitas, & Manicheos. II. *Pernouiſſimos dies intelligere Apostolum totum tempus, quod est à Christi aduentu usq; ad finem Mundi.*

52. Ad hæc vt respondeatur: concedimus, per *Nouiſſimos dies A L I Q V A N D O* intelligi tempus iam dudum præteritum: vt Act. 2.v.17. i. Pet. 1.v.20. sed non SEMPER hoc sensu accipi posse, res ipsa declarat.

53. Quia enim tempus illud à Christi aduentu usque ad finem Mundi (quod Apostolus fines seculorum appellat, i. Cor. 10.) plura secula continet: ideò emphaticè definit Apostolus, quod ipsa prædictio complementum habitura sit non in prioribus, sed in posterioribus temporibus horum plurium seculorum.

54. Omnes autem illi hæretici, quorum Bellarminus mentionem facit, vixerunt prioribus temporib. à Christi aduentu. Quæratio quoque est, vt vaticinium Pauli, in Pontificios potius, quam in veteres illos hæreticos quadrare dicamus.

Marcionitas.  
Encratitas.

55. Marcionitæ enim virus suum sparserunt circa annum Christi 150. & post. Encratitæ circa annum 170. De quorum hæresi scripsit Irenæus, qui floruit circa annum Domi-

Domini 180. Manichæi verò circa annum 280. sua peruersissima dogmata propagarunt.

56. Quocirca Apostolus de ijs solis non loquitur: sed in genere de omnibus, qui post Christi aduentum (per quem discrimen & delectus ciborum sublatus est) ad finem usq; Mundi in Ecclesia N. Testamenti certos cibos prohibuerunt: præsertim verò de ijs, qui in posterioribus annis istius totius temporis cibos interdicunt.

57. Nec quicquam Bellarmini causam iuuat, quòd Patrum testimonij confirmat, *Hereticos illos veteres à Paulo damnatos esse*. Nam & nos non inuitè id largimur. At ipsos solos damnatos esse, negamus: sed in genere Omnes, qui contra libertatem Christianam, qua Christus nos liberauit (du m discrimen & delectum ciborum, in V.T. Hebræis mandatum, sustulit) cibos prohibent, quo-cunque pretextu id faciant.

58. Ideo Paulus indefinite pronunciat: *Doctrinam Dæmoniorum falsiloquorum esse, Iubere à cibis abstinere*. Nec addit: *ut perse, & naturā immundis*. Hoc genus crassorum Impostorum Apostolus disertè non notat; cùm nemo non amens, horum mendacium & insaniam non agnoscat.

59. Alterum verò genus falsorum Doctorum, hîc & Col. 2. v. 18. & 23. exprimit; qui cibos per se mundos dicunt: at in hypocrisi, specie & opinione sanctitatis, humilitatis, & cultus, certos quosdam prohibent.

60. Hi sunt Impostores & Hypocritæ Pontificij: qui abstinentiam à carnibus alijsque nonnullis cibis (certis anni temporib. & diebus) pro cultu Deo placente mendaciter venditant: & transgressores huius mandati gravius puniunt, quàm qui præcepta Dei violant.

## *Disputat. Theologica,*

61. Proinde, si Bellarminus voluerit ex huius vaticiniij compedibus atque vinculis suum explicare Papam; necesse est vt doceat, ipsum abstinentiam à cibis sanguinibus nullam.

62. Id verò nec potest, nec vult: sed contrarium de illo testatur, hoc eodem 8. cap. scribens: *Ecclesia Catholica* (intelligit Ecclesiæ Romanæ Caput, Cardinales & proceres) *non ex hypocrisi, neque prætextu sanctitatis, sed PROPTER VERAM SANCTITATEM, & CULTVM Deo praestandum, Ieiunia & CIBORVM delectum aliquando prescribit.*

63. Hoc testimonio, Bellarminus Ecclesiæ Romanæ Antistites, consortes eorum facit, de quibus in loco presenti vaticinatur Apostolus.

64. Neq; enim Paulus sic discreuit, vt si Marcionitæ aut Encratitæ prohiberent cibos; hæresis esset. Si Papa faceret, esset vera sanctitas, & cultus Deo gratus. Quin ijsdem planè de causis, ob quas non licuit Encratitis prohibere cibos; nec Pontifici Romano, vel ylli hominum ea potestas competit.

65. Verùm, sicut ipsis Apostolorum temporibus Satanás mysterium Antichristi ordiebatur, (I. Ioh. 2. v. 18. & C. 4. v. 3. 2. Thess. 2. v. 7.) varias spargendo hæreses, quæ deinde in calicem confluxerunt meretricis Babylonicas: Ita & prohibitio ciborum fuit particula quædam errorum, & corruptelarum, è quibus doctrina Romani Antichristi postmodùm conflata est.

66. Solutionibus ergò Bellarmini displosis, nostrisq; argumentis pro vera sententia stabilienda roboratis: Nunc Confirmationem ipsius quam firma sit, ponderabimus.

67. È autem probare nititur secundum inscriptionem,

Bellarmin. ve-  
ram Sanctitatem  
& Cultum Dei  
in ciborum de-  
leculi constituit.

nem capit is. *Ad rationem Ieiunij, abstinentiam à certis cibis, ac potissimum à CARNIBVS, pertinere.*

68. Constat hæc probatio principaliter tribus exemplis Scripturæ. Primum extat cap. 10. Danielis: vbi Prophetæ de seipso inquit: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus. Panem desiderabilem* (id est, delicatum & regium) *non comedi: nec caro, nec vinum introierunt in os meum; nec ungendo unctus sum, donec completerentur trium hebdomadarum dies.*

De Exemplo  
Danielis, c 10.

69. Hic primùm respondeatur: Prophetam non dicere, quod istis tribus hebdomadis Ieiunârit: sed tantum, quod pane desiderabili, carne & vino, id est, cibo & potu lautiore seu delicatiore, more aulico, usus non sit.

70. Hebræis enim Ieiunare fuit; ab omni cibo & potu abstinere: sicut supra Thesi 8. exemplis Scripturæ docuimus. Tale verò Ieiunium, humanæ vires per trium hebdomadarum dies non ferebant.

71. Deinde, si maximè istis diebus Ieiunasset: (quod tamen non conceditur) non, idcirco præceptum obligans, sed duntaxat exemplum (absque lege ad imitationem nos obligante,) proponeretur.

72. Tertiò, si hoc exemplo firmiter probari putat: *Ad rationem Ieiunij, abstinentiam à carnibus requiri:* probabitur ex eodem, ad Naturam & substantiam Ieiunij, abstinentiam quoq; à vino, pertinere. Quod (opinor) nec ipsi Bellarminus concedet.

73. Quemadmodum verò tum Daniel LIBERE, nulla lege adactus, à carnibus, pane delicatiore, & vino abstinuit: (sicut quoq; Cæteri, quorum exempla Bell. ex Scriptoribus Ecclesiasticis producit:) pari modo & nos LIBERE, tempore calamitoso à carnibus, & quibusvis lautiorebus cibis, possumus abstinere.

## Disputat. Theologica,

De Exemplo  
Iohan. Baptista,  
Matth. 3.

74. Potrò , multò ineptiùs adducitur exemplum Io-  
hannis Baptistæ, ex cap. 3. Matth. Non enim ibi agitur  
de Ieiunio Iohannis : sed vt verba Euangelistæ expressè  
habent , de eius alimento seu cibo.

De Exemplo  
Timothei, i. Ti-  
moth. 5.

75. Tertium exemplum est Timothei : cui Paulus i.  
Tim. 5. v. 23. præcipit: *Ne amplius aquam bibito; sed vino*  
*modico utere, propter stomachum tuum, & crebras tuas infir-*  
*mitates.* Ex his verbis Apostoli, inquit Bellarminus , per-  
spicuum esse , quòd S. Timotheus solitus fuerit à vino ordina-  
riè abstinere .

76. Verùm, sunt hæc non minùs præcedentibus, pla-  
nè ἀπερσιόνων. Nam hîc similiter nihil agitur de Ieiunio:  
sed tantùm de potu , quo Timotheus v̄sus fuerit. Et in-  
cumbit Bellarmino probandum : *Timotheum in hac vini*  
*abstinentia Ieiunium collocaſſe.* II. Si maximè hoc probare  
posset: respondetur denuò, esse exemplum , (non præce-  
ptum) quod imitari nulla necessitate cogamur. *Non e-*  
*nim omnia omnibus expedient.* Eccles. 37. v. 31. III. Non lo-  
quitur Apostolus de abstinentia à carnibus, quam vel Ti-  
motheus servârit, vel Paulus ei præceperit; sed de Timo-  
thei abstinentia à vino , & dev̄tu aquæ: quem Paulus ei  
interdicit, & v̄sum vini præcipit contra morem Ieiunant-  
ium, quorum Bellarminus mentionem facit ex Eusebio  
lib. 2. Hist. Eccles. cap. 17. ex Epiphanio hære. 29. & S. Hie-  
ronymo in lib. de viris illustribus. Unde liquet , probati-  
onem Iesuitæ proposito non quadrare.

77. Deniq; memor esse debebat Bellarminus eorum,  
quæ capite proximè præcedente scripsérat, videlicet R A-  
T I O N E M , C V R Catholici existiment carnes pecorum &  
auium certis diebus esse illicitas, N O N A L I A M esse, N I S I  
Q V I A P L A C V E R I T Ecclesiæ illas prohibere. Iam autem  
cau-

causam & probationem A L I A M , Scripturæ scilicet auctoritatem, prætendit. Quæ, si ipsi astipularetur; merito potissimum, debebat obtinere locum: nec opus erat placitum Ecclesiæ assignare. Nam quæ ex Scriptura confirmantur: (quemadmodum Bellarminus id facere nimitur;) ea in arbitrio & placito Ecclesiæ non consistunt.

78. Posthæc, veros Ieiunij fines explicantes; & Bellarmini adulterinos confutantes; argumenta eiusdem diluimus.

79. Veri autem Ieiunij fines veri, præcipue T R E S inueniuntur. P R I M V S est, vt caro spiritui subijciatur. Corpus enim cibo, potu, alijsq; delitijs ita foueri potest, vt caro impinguata & incrassata spiritui repugnet, eiusq; actiones salutares Deoq; placentes impedit.

De Veris finibus Ieiunii.  
I.

80. Ne ergo carnis curam agamus ad concupiscentias, Rom. 13. v. 14. subiuganda ea atque mortificanda est; quod, præter alios modos, (in quibus sunt assidui labores vocationis, abstinentia, temperantia,) etiam fit I E V N I O.

81. Cæterum, ne euitantes charybdin in scyllam incidamus; & luxum fugiendo, ad nimiam disciplinæ austoritatem deflectamus; sciendum est, corpori debitum esse attribuendum honorem, Col. 2. v. 23. vt functionibus obeundis sufficiens esse possit: nec Ieiuniorum frequentia aut diurnitate attenuatum, ineptum ad operas vocationis præstandum reddatur.

82. S E C U N D V S & T E R T I V S finis est; vt poenitentia inseruiat; ac hominis coram Deo se humiliantis & poenitentis, oratio eò ardenter esse possit. Unde poenitentia, oratio & Ieiunium sæpius in Scriptura Sacra coniuncta leguntur. Ut loël. 1. v. 14. cap. 2. v. 12. & 17. 2. Par-

II.

&

III.

Ieiunium Poenitentia & Orationi coniunguntur.

## Disputat. Theologica,

ral. 20. v. 3. *Iosaphat timore perterritus, se contulit ad querendum Dominum, & predicauit Ieiunium uniuerso Iuda.* Esdræ 8.v.21. *Etpredicani ibi Ieiunium, iuxta fluum Ahaba, vt affligeremus nos coram Deo nostro; & peteremus ab eo viam rectam.* Ionæ 3.v.7. *Proclamare iussit Rex in Niniue: Homines & iumenta ne gustent quicquam; & aquam non bibant &c. atq; clamenter ad Deum fortiter: & conuertatur quisq; à via sua mala.* 1. Sam. 7.v.6. *Israëlites Ieiunârunt die illa: & dixerunt ibi: peccauimus Domino.* Dan. 9.v.3.

83. Postea finis minus principalis, est; vt ita Ieiunos affligentes, & coram Deo humiliantes, Psal. 35.v.13. alios quoque nostro exemplo ad seriam poenitentiam alliciamus.

84. Hisce alios duos fines seu fructus addit Bellarmenus, & contendit: *Ieiunium esse utile ad placandum Deum, eiq; satis faciendum pro peccatis. Deinde, Ieiunium esse utile ad promerendum, & impetrandum beneficia Dei temporalia & sempiterna.*

Secundum Pontificios Doctores, Ieiunium est meritorium vitaæ eternæ. In his autem sempiternis, numerant quoq; Pontificij Doctores vitaæ eternam. Sic enim ALEXANDER DE ALES in Summa de Ieiunio scribit: *Ieiunium est causa obtinendi vitam eternam.* Item, *Ieiunium voluntarium, factum in charitate, meritorium est vitaæ eternæ: non autem posset mereri vitam eternam, nisi omnis pena dimissa esset.* Ergo meritorium est Ieiunium etiam dimissionis omnis penæ. ALBERTVS inquit: *Ieiunium in peccato mortali præstitum, non prodeße quidem ad promerendam vitam eternam, prodeße tamen ad alia.* Quibus verbis non obscurè significat: quod Ieiunium extra peccatum mortale præstitum, meritorium sit vitaæ eternæ.

86. Quanquam autem prolixior horum errorū confuta-

Bellarminus.  
Ieiunii, fines  
falsi.

futatio ad articulum de Iustificatione pertineat: præfenti tamen occasione , illos paucis oppugnabimus argumentis.

87. Primum est: Si Christus P L E N A R I E satisfecit pro totius Mundi seu omnium hominum peccatis; falsum sit necesse est , Renatos suis operibus ( siue sint Jejunia , siue alia quæcunq;) pro ijsdem satisfacere. At pri⁹ ex Scriptura probatur. Verum igitur sit quoq; posterius , oportet. Testimonia Scripturæ hæc sunt : Esa.53. v. 6. O M N E S N O S sicut oves errauimus: unusquisq; in viam suam declinavit: & Dominus coniecit in illum iniquitates O M N I V M nostrūm. Ioh.1.v.29. Iohannes videns Iesum ad se venientem, ait: Ecce agnus Dei qui tollit peccatum M V N D I . I. Ioh.2.v.2. Ipse ( Iesus Christus) est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris tantum, sed etiam pro T O T I V S M V N D I . Et cap.1.v.7. Sanguis Iesu Christi Filij Dei, emundat nos ab O M N I peccato.

88. Secundum argumentum: Si Misericordia Dei , vniuersum debitum , propter meritum & satisfactionem Christi , homini peccatori condonat & remitit; falsum est, nos operibus quibuscunq; debitum illud persoluere. At verum esse prius , confirmat Paulus , Col.2.v.14. scribens: Quòd Deus nobis O M N I A delicta ex gratia condonet: quòdq; Christus chirographum , nobis contrarium , deleuerit, (videlicet suo sanguine) & sustulerit è medio, affixum cruci. Hinc idem Apostolus ad Eph. 1. v. 7. & Col.1.v.14. In quo (Filio Dei dilecto ) habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Et Propheta Michæas c. 7. v.19. ait : Miserebitur nostri: subiicit iniquitates nostras: & proieciet in profundum maris O M N I A peccata nostra.

89. Tertium argumentum: Si Daniel vir Deo eximiè charus , non ausus fuit suis & populi iustitijs tribuere valorem

## *Disputat. Theologica,*

lorem satisfaciendi Deo pro peccatis : quām enormis & impia audacia hæc erit, solis Ieiunijs hanc virtutem tribuere? Prius constat ex cap. 9. v. 18. vbi Propheta hac forma orationis in spiritu & fide visus est: *Inclina Deus meus aurem tuam, & audi &c. Non enim in iustitiis nostris prosternimus preces nostras coram te, sed in miserationibus tuis multis. Domine exaudi, Domine parce &c. PROPTER TEMETIPSVM.*

90. Quartum argumentum: Valde illustre exemplū ad conuincendum Pontificios erroris de satisfactione Ieiuniorum, est ille Pharisæus Luc. 18. qui bis in Sabbato Ieiunabat, vt Deum coleret, eiusq; iustitiæ satisfaceret, v. 12: & tamen descendit publicanus iustificatus in domum suam præ ipso. Rationem subiungit Christus: *Quia omnis qui se extollit, humiliabitur; & qui se humiliat, extolleretur*, v. 14.

91. His argumentis adde: quod ista satisfactio, ab hominibus confusa, merito Christi Filij Dei perfectissimo debitum honorem & gloriam derogat; idq; insufficiens esse ad expiationem peccatorum nostrorum, arguit. Quod contumeliosum & blasphemum esse, omnes fideles agnoscunt.

92. Posterior Bellarmini error de merito salutis, in sumum dissipatur, si probetur, N O S N U L L I S bonis operibus salutem promereri.

93. Id verò, breuitati studentes, paucis Scripturæ testimonijs planum faciemus. Act. 4. v. 12. *Non est in alio quoquam salus. Neque enim aliud nomen est sub Calo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri: nisi nomen Iesu C H R I S T I Nazareni. Rom. 6. v. 23. D O N V M Dei est vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro. Eph. 2. v. 8. Gratia estis*

tiā estis saluati per fidem: ( & hoc non ex vobis: Dei donum est:) non ex operibus, ne quis glorietur. I. Cor. I. v. 30. Christus nobis factus est à Deo, Iustitia, & sanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Rom. II. v. 6. Quod si per gratiam: non iam ex operibus: alioqui gratia non amplius est gratia.

94. Restat nunc, vt Bellarmini argumenta excutiantur, quæ pro satisfactione obtinendâ, adducit.

95. Satisfieri autem Deo pro peccatis per Ieiunium: (vt Bellarminus cap. 12. se ex Scripturis, multis testimonijs & exemplis demonstrasse, falsò gloriatur:) modò refutatum est; & refutabitur amplius, demonstrando, NE  
V N V M quidem siue testimoniorum siue exemplorum à Bellarmino ex Scriptura adductorū, quicquam ad satisfactionem pro peccatis probandam, valere.

Refutatio Bel-  
larmini, quod  
pro peccatis per  
Ieiunium satis-  
fiat.

96. Verba Bellarmini cap. II. §. 10. hæc sunt: *Ieiuniū est utile ad satisfaciendum Deo, vel ad eum placandum. Id primum ostendunt exempla Scripturarum. Nam i. Reg. 7. ieunantes filij Israēl cum Samuele, Deum placarunt; & vi-ctoriam de hostibus retulerunt. 3. Reg. 21. Achab Rex impius, cum Deum ad iracundiam prouocasset propter vineam Na-both, indutus cilicio ieunauit, & ambulauit demissō capite. Et eo facto iram Domini, saltem ex parte, mitigauit. Sic etiam Niniuitæ, Ion. 3. indicto communi ieunio, Deum placare studuerunt; & re ipsa placarunt. Idem fecerunt Iudei tem-pore Hester & tempore Iudith; & placato Deo liberati sunt ab excidio imminentí, Esther 4. & Iudith. 4. Deniq. Ioël cap. 2. bortatur peccatores, ut conuertantur ad Deum in ieunio, & fletu, & planctu.*

97. Respondetur: Ne literam quidem in omnibus illis, à Bellarmino tam audacter citatis, Scripturæ locis,

## *Disputat. Theologica,*

Iegi de satisfactione pro peccatis. Atque ut Bellarmino  
os plenè obturetur; sic ſula ista probè examinabimus &  
trutinabimus.

1 Sam. 7. Israélitas Deo non satisfecisse per Ieiunium.

98. Et quidem 1. Sam. 7. v. 4. 5. 6. hoc solùm legitur,  
quòd secundum Prophetæ Samuelis cohortationem, *Israélites ad Dominum Deum suum conuerſi, abſulerint Deos alienos: ſeruierint Domino ſoli: & iejunarint die illa, atq; dixerint, peccauimus Domino.* Hic confessionem peccatorum audimus: de satisfactione verò ne verbum. Quomodo enim Ieiunium vnius diei pro grauissimo peccato detestandæ idolatriæ, alijsq; ipſorum delictis plurimis, (quorum causā à Philistéis cæſi erant) Deo satisfacere potuiffent?

99. Verùm, vt Iohannes 1. cap. 1. v. 9. scribit: *Sic confitemur peccata nostra; fidelis est & iuſtus, vt REMITTAT nobis peccata; & emundet nos ab omni iniquitate.* Sic filii Israël remissa sunt peccata, non propter Ieiunij meritum: sed quia peccata sua ingenuè confessi sunt: & ab his ad Dominum, verâ fide & cultu syncero sunt conuerſi.

100. Porrò, si Ieiunium eam pro peccatis satisfaciendi vim obtinuifset, vt propterea victoriâ potiti effent filii Israël; (vt Bellarminus sentire videtur:) quid opus fuifset, modò post Ieiunium tanta solicitudine apud Samuelem instare, *Ne cefſet pro ipſis clamare ad Dominum, vt salvet eos de manu Philistinorum?* Quem etiam Dominus exaudiuit, v. 8. & 9.

Nec impium Achabum, 3. Reg. 21.

101. 3. Reg. 21. cap. De hypocritica poenitentia & Ieiunio (quæ Deum placare non possunt) impij Regis Achab ilegimus. Is enim audiens increpationem Eliæ, & denun-

nuntiationem pœnarum admodum tristium; harum seueritate exterritus, signa quædam pœnitentiæ ostendit, scindendo vestimenta sua; induendo saccum; in eo dormiendo; iejunando: & ambulando lentè. Hac facta pœnitentiæ effecit, ut Dominus pœnam temporalem aliquousque differret. Nec quicquam autem ibi extat de Satisfactione, aut pœnarum mitigatione P E R I E I V N I V M. Sed ita loquitur Dominus ad Eliam: *pro eo quod humiliauit se Achab à facie mea: non inducam malum in diebus eius: in diebus filij eius inducam malum super domum eius.* Et quidem ipse Achab, in prælio contra Syros occisus est: & linxerunt canes sanguinem eius, iuxta verbum Domini, 3. Reg. 21. v. 19. Post 14 verò annos occisus est & filius Ioram, vnâ cum alijs 70 filiis Achab, & Iezabel vxore eius. Hæc fuit illa leiunij Achabi satisfactio, qua scilicet Deum placauit, & iram eius mitigauit.

102. Quod ad Ninivitas attinet; leiunium ipsorum, Nec Ninivitas, eius meriti & momenti non fuit, ut Deum per id placare potuerint: sed vera causa refertur cap. 3. v. 5. quod Deo crediderint; & ex fide pœnitentiam delictorum egerint: hancque declararint non Ieiunio Papistico, seu discrimine ciborum, sed abstinentiâ à cibo & potu; in primis verò conuersione à via mala; Deumque ardenter invocarint pro remissione culpæ & pœnæ. Tunc Deus exaudiuit illos, pœnamque denunciataam remisit, non propter ipsorum Ieiunium: sed quia pœnitentiâ & fide sincera (sine qua impossibile est Deo placere, Heb. 11. v. 6.) conuertebantur adipsum; qui clemens & misericors est, (ut cap. 4. v. 2. habetur) & ex mera ac gratuita misericordia resipiscentibus & creditibus peccata condonat.

## *Disputat. Theologica,*

Nec Iudeos  
tempore Esther  
& Iudith.

103. Eodem planè modo, Iudei tempore Esther & Iudith, non merito Ieiunij sui placarunt Deum, & excidium imminens auerterunt: sed assiduis clamoribus & precibus, ex fide in Dei misericordiam factis, beneficium hoc liberationis ab ipso impetrarunt; qui ex mera clementia & gratia, auxilium ipsius implorantes exaudiuit, & de tribulatione liberauit eos, sicut Esth. 4. v.3. in primis Iudith 4.v.7. & sequentibus, copiosè legitur.

104. Estq; mirum, Bellarminum è progressum audaciæ; vt, quæ ipsi Israëlitæ toties MISERICORDIAE Dei accepta ferunt, hic hypocrita Ieiunio adscribere non erubet.

105. Nam Iudith 7.v.4. dicitur: quòd Filij Israël videntes multitudinē hostium, prostrauerint se super terram, unanimitate orantes, ut Deus Israël MISERICORDIAM SVAM ostenderet super populum suum. v.19. & 20. Vnā voce clamauerunt ad Deum dicentes; peccauimus cum patribus nostris; iniustè egimus; iniquitatem fecimus. Tu quia pius es MISERERE nostri. Cap. 8.v.16. & 17. Humiliemq; illi animas nostras: & in spiritu constituti humiliato, seruientes illi, dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum MISERICORDIAM suam. Cap. 13. v.17. & 18. inquit Iudith: Laudate Deum: quia MISERICORDIAM suam domui Israël non subtraxit: sed hostes nostros hac nocte manu mea conquaassauit.

106. Denique, et si Ioël cap. 2. v.12. hortatur Iudeos, vt conuertantur ad Deum in Ieiunio, & fletu, & planctu: non tamen Propheta hoc sensit, quòd per Ieiunium Deo pro peccatis satisfacere, eumq; placare & promereri possint, vt de ira sua remittat. Ideo statim subiungit: Scinde cor vestrum, non autem vestimenta vestra: & conuertimi nisi ad

ni ad Dominum Deum vestrum: ( quod fit, vera fide: qua homines verbo Dei credentes, peccata agnoscunt, detestantur , & Christum propitiatorem apprehendunt:) **quia M I S E R I C O R S & misericordia est, longanimis & multæ misericordia.** Quibus verbis non Ieiunio Hebræorum, sed gratiæ & Misericordiæ Dei auersionem poenarum tribuit. Et ibidem v.17. iubet Sacerdotes orare & dicere: **Parce populo tuo, &c. Et zelatus est Dominus pro terra sua: & pepercit super populo suo.**

107. Adhæc, inquit Bellarminus: **Ieiunium esse utile ad merendum, & impetrandum beneficia Dei temporalia & sempiterna.** Hocque Scripturæ exemplis & testimentijs probare nititur, subiungens: *Nam ut in libro primo Reg. capite primo legimus; Anna uxor Helcana filium Samuelē per Ieiunium impetravit. Dauid quoque Ieiunio se afflixit, ut periclitanti filio vitam impetraret, 2. Reg. 12. Sara item per Ieiunium à demonio liberatur; Tob. 3. Atq; hoc forte est genus illud demoniorum, quod non ejicitur nisi per orationem, & Ieiunium, ut Dominus ait Matth. 17. Sed est IN SIGNIS locus, præter ceteros, pro merito Ieiuniū, Matth. 6. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. At quid quæso reddet nisi mercedem? Opponit enim Dominus hoc ieiunium illi, de quo antea dixerat: Exterminant facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam. Huc usque Bellarminus.*

108. Hic initio profitemur: Bona opera nec remissio nem peccatorum, nec vitam æternam, tanquam merito ipsorum condignam mercedem, promereri: (Hæc enim solius obedientiæ Christi effectus sunt;) sed præmia

Alius error Bel-  
larmini de leiu-  
niamento.

## *Disputat. Theologica,*

à Deo operibus bonis destinata esse , quæ tamen nullo horum merito , sed ex mera paterna clementia filijs suis obedientibus vi promissionis largiri solet. Inquit enim Christus Luc. 17. v. 10. *Sic & vos cum feceritis omnia , que præcepta sunt vobis : dicite, Serui inutiles sumus : quia quod debuimus facere, fecimus.*

Refutantur ea,  
qua Bellar. pro  
merito Ieiunii  
adducit.

*Exemplum  
Hanna.*

109. His ita præmissis: singula pro merito Ieiunij à Bellarmino producta, examinabimus: vt quid ponderis habeant, dignoscamus.

110. De Hanna i. Sam. 1. v. 7. legitur: *quod irritata ab inimica sua fleuerit, nec comedet in Siloh: sed amaro animo orauerit Dominum instanter, ut respiciat afflictionem ancilla sua; & det ei semen virile.* Quod etiam impetravit. Id vero suo Ieiunio neutiquam adscripsit Hanna: sed v. 27. Sacerdoti Eli inquit: *propuero isto ORAVI, & dedit Dominus petitionem meam quam peti ab eo.* Hic nihil auditur, quod filium Ieiunij merito impetrârit. Nam filij sunt hæreditas & donum Dei, Psalm. 127. v. 3. Ideo etiam Isaac Gen. 25. v. 21. orauit Dominum pro vxore sua, quia sterilis erat: & exaudiuit eum Dominus. Et Gen. 48. v. 9. dicit Joseph patri suo: *His sunt filii mei, quos D E D I T mibi Deus.* Falsum itaque est: Hannam ex Ieiunij merito filium impetrasse.

Rachel

111. Deinde, si in hac Bellarmini opinione fuissent piii V. Testamenti; quis nisi mente captus non crederet, Rachelem (præ dolore ob sterilitatem oborto , mori cupientem, Gen. 30. v. 1.) solenne Ieiunium cum tota familia instituturam fuisse potius, vt hoc modo filios promere-retur, quam vt rixas tam acerbas contra maritum dilectissimum moueret?

David.

112. Multò inceptius adducitur exemplum Davidis: qui

qui non tantum ieunauit, sed in primis ardenter orauit pro vita filij: nec tamen à Deo petitionem suam imper trauit. Quomodo ergo exemplum hoc, instituto Iesuitæ quadrat? & non potius assertionem illius evertit?

113. Deinde si Ieiunium Dauidis meritorium fuit: Deus iniustus erit, quod mercedem debitam ei non persol uit: sed infantem mori sicut.

114. Verùm, longè aliter sensit Dauid: qui 2. Sam. 12. v. 22. seruis suis inquit: *Adhuc infante viuente; ieunauit, & fleui. Dixi enim, Quis scit si MISER EAT V R mei Dominus, & viuat Infans.* Ubi Dauid vitam filij, non suo Ieiunio, sed Misericordiæ Dei transcritbit.

115. Similiter SARA Tob. 3. non per Ieiuniū meritum, sed per orationem fidelem (quæ solâ Dei gratiâ & misericordiâ nitebatur) à dæmonio liberatur. Sara.

116. Sic enim v. II. habetur: *Ipsa in oratione persistens, cum lachrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam.* Et additur: *Dixit (Sara:) Benedictum est nomen tuum, Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, MISERICORDIAM facies: & in tempore tribulationis, peccata dimittis ijs, qui invocant te.* Et postea v. 20. secundum græcum textum, inquit: *Iam perierunt mihi septem (viri:) ad quid mihi reliquum viuere? Et nisi tibi videtur interficere me; præcipe respicere in me, & MISERERE mei, & non audi re me amplius improperium.*

117. Hic audimus: Saram ne quicquam Ieiunio suo tribuere; sed ad Dei misericordiam confugere, & liberacionem à malo petere: cuius etiam preces exauditæ fuerunt, v. 24.

118. Et quamuis, testimonio Christi Matth. 17. v. 21. De Loco: Matz. sit genus quoddam dæmoniorum, quod non ejicitur ni-

17.  
si per

## *Disputat. Theologica,*

si per orationem & Ieiunium: hoc tamen non demonstrauit, nec vñquam demonstrabit Bellarminus, quòd **M E R I T O** Ieiunij ejiciatur. Quia liberatio hæc à spiritu malo, est gratuitum Dei donum; quod **P E R** orationem, (cui Ieiunium inseruit) nec propter orationis vel Ieiunij dignitatem & meritum, conferre solet.

*De Loco Matt.  
6.*

119. Porrò, principale præsidium pro merito Ieiunij, collocat Iesuita in loco Matth. 6. Quia verò verba Christi Luc. 17. v. 10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis: dicite, Serui inutiles sumus: quia quod debuimus facere, fecimus:* sunt immotæ veritatis: certum est, vocabulum Mercedis, Matth. 5. v. 12. cap. 6. v. 18. 1. Cor. 3. v. 8. Apoc. II. v. 18. & alibi, quando de pijs sermo est, non significare tamē retributionem, quæ ex merito & dignitate operum, sicq; secundum debitum, detur. Hic enim inter mercedem & opera, iusta proportio esse debet. Et secundum hanc significationem, vita æterna, omniaq; præmia quæ electis in illa distribuentur, sunt solius Christi (qui pro nobis seruuit & laborauit, Esa. 43. v. 24.) iusta & debita merces. Verū, denotat gratuitam Dei compensacionem seu remunerationem operum & laborum in hac & altera vita, quam ex paterna clementia promisit, & dare solet filijs obedientibus. Ubi inter piorum opera, & præmia (cælestia videlicet & æterna) quæ pro suis laborib. & passionibus à Dœ accipiunt, nulla est proportio. Sicut Paulus Rom. 8. v. 18. *Statuo, quòd non dignæ passiones presentis temporis, ad gloriam futuram quæ renelabitur erga nos.* Et 2. Cor. 4. v. 17. *Momentanea leuitas tribulationis nostra, mirè supra modum aeternum pondus gloriae parit nobis.*

120. Quocirca, vt præsidium illud, in quo Bellarmenus omnem penè victoriæ impetrandæ spem atque fiduciam

*De Vocabulo  
Mercedis.  
Quid non sig-  
nificet.*

*Quid significet.*

ciam collocat, demoliamur; significata vocabuli Mercede-

Significata Vo-  
cabuli , Merce-  
dis.

L

dis secundum Scripturam distinguenda sunt. Aliás enim significat compensationem laborib⁹ debitam, vt: Deut.

24.v.14. & 15. *Non opprimes mercenarum pauperem, &c. in die eius dabis mercedē eius.* Huc pertinet illud Pauli Rom.

4.v.4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Aliás verò significat retribu-

11.

tionem planè gratuitam. De qua significatione thesi 119.

121. Quin & ipse Matthæus cap.5. v. 46. hoc sensu uti-  
tetur vocabulo *Mercedis*, scribens: *Si dilexeritis eos qui dili-  
gunt vos; quam mercedem habetis?* Hæc Lucas cap. 6.v.32. ita expressit: *Si diligitis eos, qui diligunt vos; quæ vobis est  
GRATIA?*

Merces & Gra-  
tia, Voces equi-  
pollentes, Matt.  
5. & Luc. 6.

122. Porrò, hoc eodem capite Lucæ, vocabula *Gratia* Luc. 6.v.32.

& *Merces* pro synonymis usurpantur. Nam vbi Christus dixit v.32.33.34. *Si diligitis diligentes vos; quæ vobis est GRATIA? Si benefeceritis benefacientibus vobis: quæ vobis est GRATIA? Si mutuum dederitis, à quibus speratis recipere; quæ vobis GRATIA est?* Statim subiungit: *Quinimodo diligite inimicos vestros: & benefacite; & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit MERCES vestra multa.* Qualis verò hæc *Merces* futura sit, verbis sequentibus denotat: *Et eritis FILII Altissimi.* Filijs autem non datur à parentibus *Merces* propriè sic dicta; sed hæreditas, munera, & dona obtinere illis solent: inter quæ, & labores ipsorum nulla est comparatio.

Merces hæredi-  
tatis.

123. Hæc Retributio appellatur quoque *Merces hære-  
ditatis*, Col. 3. v. 24. Quod autem sub titulo hæreditatis quis accipit; id non secundum debitum mercedis acci-  
pere dicitur. Et quemadmodum credentes, ex mera Dei gratia in filios Dei & hæredes cœlestium bonorum ado-

E

ptan-

## Disputat. Theologica,

ptantur: ita etiam hæc bona , solius Christi merito acquisita , nulla operum suorum præstantia vel dignitate adipiscuntur.

Gen. 15. Deus  
appellatur Mer-  
ces.

124. Eadem significatio Mercedis abundè liquet ex cap. 15. Genes. vbi Deus Abrahamo inquit : *Ego Merces tuamulta valde*, videlicet gratuita. Nam Abraham & suis & omnium sanctorum (qui vnquam fuerunt, sunt & erunt) laboribus & operibus, hanc Mereedem acquirere & promererri non potuisset.

Matth. 5.

125. Idem sensus patet ex cap. Matth. 5.v.12. vbi Christus discipulos suos his verbis consolatur; *Gaudete & exultate; quoniam Merces vestra multa est in celis.* Hoc non potest de mercede debita, sed gratuita, accipi. Quia non P A R E S sunt afflictiones præsentis temporis ad futuram gloriam , quæ reuelabitur erga nos , Rom. 8. v.18. Siquidem hæc MOMENTANEA LEVITAS afflictionis nostræ, καθ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν ΕΤΕΡΝΥM PONDVS gloriæ parit nobis, 2. Cor. 4. v. 17.

Matth 6. Mer-  
ces pro dono.

126. Imò (quod amplius est ) ex ipso sexto Matthæi capite liquet , vocabulum Mercedis pro dono accipi, dum v.6. oranti promittitur Merces. Quod autem oranti, & gratiam Dei suppliciter in nomine Christi imploranti datur, non est merces debita, sed DONVM. Multò igitur magis Ieiunij (quod orationi subseruit) Merces non nisi donum Dei gratuitum erit.

Stulta Sophisti-  
ca Bellarmi-  
ni de Oratione.

127. Sed habet Bellarminus quoddam κηρυγμα di-  
cens: *Tamen si orationi ut oratio est, respondeat potius donum.*  
*quam merces: tamen orationi ut est opus bonum, & excha-  
ristate profectum, omnino DEBET VR merces.*

128. Ad hoc respondeatur: Theologum dupliciter  
con-

considerare orationem secundūm Scripturam sacram: Opatio, quando  
vel vt ex fide proficiscitur; qua ratione est opus bonum,  
Deoque placens: quod promissionem exauditionis, ac  
bonorum corporalium & spiritualium habet, idq; nulla  
dignitatis suæ præstantiâ, sed ex gratuito Dei amore &  
fauore.

129. Estque falsissimum; quòd ei D E B E A T V R Mer-  
ces. Nam vt homo ex fide orans, non nisi gratuita Dei  
misericordia nititur: ita quicquid oratione sua impe-  
trat, est gratuitum Dei donum; nec debita Merces tan-  
quam operis eam promerentis, dici potest.

130. Deinde, est oratio, quæ fide in Dei misericordi-  
am & meritum Christi destituta est: qua hypocritæ ope-  
rarij, sibi Deum eiusq; bona, tanquam Mercedem debi-  
tam promereri volunt.

131. Talis est oratio Iesuitarum; quæ Deo placere ne-  
quit: & de qua Christus Matth. 15. v. 8. ex Esaiā inquit:  
*Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me hono-  
rat: cor verò eorum procul abest à Me.* Eiusmodi oratio  
fit hypocritis in peccatum, Psalm. 109. v. 7.

132. Cur autem Scriptura in his & alijs consimilibus  
dictis, dona & beneficia Dei gratuita vocabulo Merce-  
dis exprimat, causa potissimum hæc est: Quòd sicut in  
conuersatione mundana, Merces nō datur nisi laboran-  
tibus: Ita quoq; Deus dona sua gratuita, terrena & cœ-  
lestia, temporalia & æterna, opera bona præstantibus  
promisit: eaque ad similitudinem operarum mundana-  
rum ( quibus Merces debetur ) Mercedem appellat:  
quâ omnium præstantissimâ, ad studium bonorum  
operum nos excitare, & inflammare voluit. Propriè  
Cur Scriptura,  
dona gratuita  
Vocē Mercedis  
exprimat.

## *Disputat. Theologica,*

*Cur propriè  
Merces non di-  
catur.*

autem, Mercedis nomen, ista bona & dona non merentur: quia inter hæc, & opera hominum etiam perfectissima, nulla est proportio.

133. Deinde, hoc nomen obtinent; quia Christus solus, operibus obedientia sua ad mortem vsq; crucis prestitæ, vitam æternam, & præmia in ea accipienda, nobis promeruit: & respectu illius, merces dici possunt.

*Ieiunia hypo-  
critica Papista-  
rum.*

134. Denique, cum sana doctrina de Ieiunio, pugnant stata illa & hypocritica Ieiunia Papistarum: vbi certis diebus & temporibus (v. g. singulis septimanis feriâ quartâ & sexta, & 40 diebus ante pascha) à certis cibis, de necessitate legis Pontificiæ, abstinere solent: ut hoc opere pro peccatis satisfaciant: ac promereantur gratiam Dei, beneficia temporalia & æterna: in quibus etiam vitam æternam numerant.

*Cur improben-  
tur.*

135. Hæc iure à nobis reprobantur: primùm, quod nusquam in Nouo Testamento vel à Christo, vel Apostolis, fixa Ieiunia certorum dicuntur & temporum sunt mandata.

136. Cumq; Christo de his statuendi aliquid, occasio opportuna oblata fuisset per Discipulos Iohannis Baptistaræ, quærentes Matth. 9. v.14. *Quare nos & Pharisæi ieunamus frequenter: Discipuli verò tui non ieunant?* nihil tam de his constituit Christus: sed interrogantibus inter alia respondet: *Venient dies, cum auferetur ab eis sponsus: & tunc ieunabunt.* Hoc est, pericula, calamitates & persecutions ieunandi ansam & causam eis præbebunt.

137. Secundò, reprobantur propter formam & modum ieunandi: qui non tam in abstinentia, quam in delectu ciborum consistit. Hic verò expressè à Paulo damnatur Col. 2. v.16. *Ne quis vos inducit in cibo & in potu, &c.*

Et

*Et I. Tim. 4. doctrinam dæmoniorum appellat, si quis iubear abstinere à cibis quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus.*

138. Tertiò, improbantur propter impios fines: quòd Vide Th. 26.62.  
& 84. illis affingunt opinionem cultus, satisfactionis, & meriti: & legibus Ieiuniorum, homines in conscientia ad obedientiam obligari dicunt: ac peccatum mortale esse fingunt, Ieiunia Papistica, hoc est, discrimin ciborum non seruare.

139. Quibus impietatibus accedit, quòd simoniam exercent: & necessitatem illam obedientiæ, sub culpa peccati mortalis præstandæ, vendunt; ac pecuniam dantibus leges Ieiunij hypocriticè relaxant.

140. Adde, quòd Ieiunium Pontificiorum est opus operatum, & meritorium, absque fide & pœnitentia. Quocirca Deo placere nequit.

141. Nec illud tueri possunt exemplo primitiæ Ecclesiæ. Quod enim Apostolorum Ecclesiam concernit; quia in Scriptura Noui Testamenti, à Christo vel Apostolis nihil definitum est, quibus diebus iejunare oporteat: ideo Apostoli & fideles post Christi ascensionem, ex libertate Christiana instituerunt Ieiunia quandounque ipsis visum, & ardua negotia Ecclesiæ expedienda fuerunt: absque tamen omni lege, vel opinione Necessitatis, & meriti: vt docet exemplum Apostolorum suprà Th. II. prolatum.

142. Eandem libertatem Ieiunij, confirmat etiam exemplum discipulorum Christi & Iohannis: quorum illi non iejunârunt: hi verò iejunârunt frequenter: Matth. 9. v. 14.

143. Nec solùm libertas, sed etiam diuersitas Ieiunio-

## Disputat. Theologica,

rum fuit; ut non omnes Ecclesiæ ijsdem diebus ieunant. De qua diuersitate Eusebius lib. 5. hist. Eccles. cap. 23. verba Irenæi ad Victorem Episcopum Romanum refert: *Non de die tantum disceptatio est; sed & de ipsa specie Ieiunij. Siquidem alij unum sibi diem ieunandum esse putant: alij duos: alij plures: alij quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes. diem suum statuunt. Et ista ieunantium varietas, non nostro demum tempore, sed multò ante per illos cœpit, qui ante nos rerum habenis potiti, simplicem & vulgatam consuetudinem (ieiunandi) posthabuerunt & mutarunt. Nibilo tamen minus, omnes illi pacem inter se retinuerunt: & retinemus etiamnum: & dissonantia Ieiunij, fidei concordiam commendat.*

144. Ex quibus Irenæi verbis liquet: in Ecclesia primitiua, fuisse Ieunium exercitium liberum: nec pariter ab omnibus Ecclesiis obseruatum.

145. Et Socrates lib. 5. histor. Eccles. cap. 21. de Ieiunio Quadragesimali scribit: *Ieiuniorum rationem, que ante pascha sunt, aliter ab alijs obseruatam esse, facile est reperire. Nam qui sunt Romæ, tres septimanæ ante pascha, (Sabbato & Dominico exceptis) simul ieunant. Qui autem in Illyria, & tota Grecia, quicquid Alexandria habitant, ante sex septimanæ Ieunia, que ante pascha sunt, ordiuntur: illudque tempus Q V A D R A G E S I M A M nuncupant. Alij praeter horum consuetudinem, septem septimanæ ante illud festum, initium ieunandi faciunt, &c. Quin etiam non de numero dierum solum discrepant: verum etiam de abstinentia à cibis, variam sequuntur rationem. Nam alij omnino ab omni animantium genere abstinent. Alij inter animantia, pisces solos comedunt. Alij cum piscibus volucres etiam manducant: easq; ex aqua nasci afferunt. Alij à fructibus, duris*

Socrates histor.  
Eccles.lib.5. c21  
Ieunium Qua-  
dragesimale.

N.B.  
Diuersitas cibo-  
rum, tempore  
Quadragesimæ

inte-

integumentis inuolutis, & ab ouis temperant. Alij aridopane solo vescuntur. Alij ne illo quidem. Sunt, quicum ad horam non amieunauerint: varijs ciborum generibus utuntur. Alia ratione apud alias gentes ieunatur: cuius rei sunt cause propè infinitæ. Ac quoniam nemo de ea praeceptum, literarum monumentis proditum, potest ostendere: per spicuum est,

N.B.  
Leiuniorum ratiō libera.

APOSTOLOS LIBERAM POTESTATEM IN FALDEM, CVIVSQUE MENTI ET ARBITRIO PER-

MISISSE, VT QVISQUE NEC METV, NEC NE-

CESSITATE INDVCTVS, QVOD BONVM SIT,

AGERET. Hanc disparem Ieiuniorum rationem in Ecclesiis

esse cognoscimus. Hæc Socrates.

146. Estq; contra Pontificios notatu dignum: quòd Augustinus in prolixa illa Epistola 86 (quæ de Ieiunio agit) nihil prorsus habet de dele&tu ciborum: quod vide licet ieunare, sit à carnis alijsq; certis cibis abstinere. Verum hoc solum ex Epistola illa liquet: quòd ieunantes prandium non sumperint: sed usque ad vesperam à cibo abstinuerint.

147. Quodque Augustinus in dicta Epistola de Ieiunio Sabbati, (de quo controversia erat) scribit: *Si male facimus, quando prandemus: (hoc est, non ieunamus in Sabbato:) nullo die dominico bene vivimus: quia videlicet in illo prandemus, & non ieunamus.* Idem nos in genere de Ieiunijs Papisticis dicere possumus: *Si male facimus prandentes, seu carnes comedentes die Veneris, & in Quadragesima, certè etiam reliquis diebus, quibus carnes manducamus, peccabimus.* Nam vt Augustinus prædicto loco scribit: *Quibus diebus non oporteat ieunare: & quibus oporteat: præcepto Domini, vel Apostolorum, non inuenio definitum.*

148. Idem

## *Disputat. Theolog. de Jeiunio.*

148. Idem Augustinus contra Ieiunium Sabbati adducit illud Apostoli Col. 2. *Nemo vos iudicet in esca, aut in potu.* Et Rom. 14. *Qui manducat: non manducantem non spernat. Et qui non manducat: manducantem non iudicet.*

149. Hæc dicta Scripturæ, pari ratione militant contra Ieiunium Quadragesimale; quod neque Christus, neque Apostoli præceperunt. Et quia est plantatio, quam non plantauit Pater cœlestis: ideo fideles non obstrin-git.

150. Cæterum, posteris temporibus, ab hominibus superstitionis accesserunt statuta & leges Ieiuniorum: quæ contra libertatem Christianam, conscientias hominum obligarunt: omnesque ad eandem ieiunandi ratio-nem statis temporibus astrinxerunt.

151. Hæc obseruatio, cum libertate Christiana pug-nans, Pontificum tyrannide, & pœnarum severitate, in Regno Papistico stabilita & firmata est.

152. Sed quia leges istæ nil nisi doctrinæ & præcepta hominum sunt, omni verbo Dei destituta: ideo secun-dum Scripturæ canonem, rectè ab Orthodoxis rejici-untur.

*F I N I S.*

